

C. PLINII SECUNDI VERONENSIS

NATURALIS HISTORIAE LIBER SECVNDVS.

An finitus sit mundus, & an vnus. CAP. I.

* quodcūq;
cælū appell.



VNDVM, & hoc* quod nomine alio cælum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, numen esse credi par est, æternum, immensum, neq; genitum, neq; interiturum vnquam. Huius externa indagare, nec interest hominū, nec capit humana coniectura mentis. Sacer est, æternus, immensus, totus in toto, imo vero ipse totum: finitus, & infinito similis: omnium rerum certus, et similis incerto: extra, intra, cuncta complexus in se, idemq; rerum nature opus, & rerum ipsa natura. Furor est, mensuram eius animo quosdam agitasse, atq; prodero ausos: alios rursus occasione hinc sumpta, aut his data, innumerabiles tradidisse mūdōs, vt totidem rerū naturas credi oporteret: aut, si vna omnes incubaret, totidem tamen soles, totidemq; lunas, & cætera etiam in vno et immensa & innumerabilia sidera: quasi non eadem questione semper in termino cogitationis occurrere, desiderio finis alicuius: aut, si hæc infinitas nature omnium artificii possit assignari, non illud idem in vno facilius sit intelligi, tanto præsertim opere. Furor est, profecto furor, egredi ex eo: & tanquam interna eius cuncta plane iam sint nota, ita scrutari externa. quasi vero mensuram vllius rei possit agere, qui sui nesciat: aut mens hominis videre, quæ mundus ipse non capiat.

De forma eius. CAP. II.

Formam eius in speciem orbis absoluti globatam esse, nomen in primis & consensus in eo mortaliū, orbem appellantium, sed & argumenta rerum docent: non solum quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese, ac sibi ipsa toleranda est, sedq; includit & cōtinet, nullarum egens compaginum, nec finem aut initium vllis sui partibus sentiens, nec quia ad motum quo subinde* verti debeat (vt mox apparebit) talis aptissima est: sed oculorum quoq; probatione, quod cōuexus mediūsq; quacūq; cernatur, quum id accidere in alia non possit figura.

* Vti mox
apparebit,
talis apt.

De motu eius. CAP. III.

Hanc ergo formam eius, æterno & irrequieto ambitu inenarrabili celeritate, viginti quatuor horarum spatio circūagi, solis exortus et occasus haud dubiū reliquere. An sit immēsus, & ideo sensum aurium* facile excedens, tāta molis rotata vertigine assidua sonitus, non equidē facile dixerim, non hercule magis q̄ circumactorum simul tinnitus siderum, suosq; voluētium orbis: an dulci quidem & incredibili suauitate conceutus. nobis qui intus agimus, iuxta diebus noctibusq; tacitus labitur mundus. Esse innumeras ei effigies aīalium rerumq; cūctarū impressas,

* Facile, nō
est in vete-
ri exēplari.

nec (vt in volucrū notamus ouis) leuitate cōtinua lubricū corpus, quod clarissimi autores* dixere tenerū, argumentis indicatur: quoniam inde deciduis rerum oīum seminibus, innumera, in mari præcipue, ac plerūq; cōfusus mōstrificæ gignatur effigies. Præterea visus probatione, alibi plaustri, alibi ursi, tauri alibi, alibi literæ figura, candidiore medio sup uerticē circulo.

* dixere, re-
rum argu.

Cur mundus dicatur. CAP. IIII.

Quidem & consensu gētium moueor. Nam quæ nos a pfecta absolutaq; elegantia, mundū. Cælū quidem haud dubie cælati argumento diximus, vt interpretatur M. Varr. adiunat rerū ordo, descripto circulo, qui signifer vocatur, in duodecim animalium effigies, et per illas solis cursus, congruēs tot seculis ratio.

De quatuor elementis. CAP. V.

Ec de elemētis uideo dubitari, quatuor ea esse. Ignium summū, inde tot stellarum collucentiū illos oculos. Proximū spiritus, quem Græci nos friq; eodē vocabulo æra appellant. Vitalem hunc, et per cuncta rerum meabilem, totoq; * consertum: huius vi suspensam, cum quarto aquarum elemento, librari medio spatio tellurem. Ita mutuo complexu diuersitatis effici nexum, & leuia ponderibus inhiberi, quo minus euolent: contraq; graua ne ruant, suspēdi leuibus in sublime tendentibus. Sic pari in diuersa nisi, * vi sua queq; consistere, irrequieto mundi ipsius cōstricta circuitu: quo semper in se currente, imam atq; mediam in toto esse terram, eandemq; vniuersi cardine stare pendentem, librantem per quæ pēdeat: ita solam immobilem circa eam volubili vniuersitate, eandem ex omnibus necti, eidemq; omnia inniti.

* cōfertum

* in suo
queque.

De septem planetis. CAP. VI.

Inter hanc cælumq; eodem spiritu pendent, certis discretis spatijs, septē sidera, quæ ab incessu vocamus errantia, quum errēt nulla minus illis: eorū medius sol fertur amplissima magnitudine ac potestate: nec temporū modo terrarumq; sed siderum etiā ipsorum cæliq; rector. Hunc mundi esse totius animū, ac planius mentem, hunc principale nature regimen, ac numen credere decet opera eius æstimantes. Hic lucē rebus ministrat, aufertq; tenebras: hic reliqua sidera occultat: hic vices temporum, annumq; semper renascentem ex vsu nature temperat: hic cæli tristitiā discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen cæteris quoq; sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intus, omnia etiam exaudiens: vt principi literarū Homero placuisse in vno eo uideo.

De deo. CAP. VII.

Quapropter effigie dei, formamq; querere, imbecillitatis humana reor. Quisquis est deus (si a modo

a modo